

nem, Sclufam, & certa alia Fortalitia. Et facta est illico eidem obedientia tam per Utinenses, quam per omnes eorum Colligatos, & per nos de Maniaco cum verbo & consensu dictorum de Utino. Tunc ipse Dominus Paduæ posuit Utini penes ipsum Cardinalem Michaellem (a) de Rabatta suum familiarem in Marescalum, quemdam Fratrem de Padua in Vicarium, & omnes Officiales ad sui beneplacitum; & in Utino retinendo suos familiares, & Cavallarios, taliter quod in Utino multi erant ei instantes. Et finaliter Utinenses, qui videbant libertatem Patriæ fore quasi in totum amissam; nolentes ulterius tolerare, discordiam habere incepterunt cum ipso Cardinali; non videntes ipsum Dominum, sed potius Dominum Paduæ.

Tunc iterum cum eorum sequacibus est liga facta: ad guerram se posuerunt, & nos de Maniaco cum eis. Propter quod Dominus Paduæ suum habuit tractatum cum D. Rizzardo de Valvasono. Et Dominus Cardinalis fugam de nocte dederat, & iverat Paduam. Et dum ipsi de Utino dubitarent de D. Rizzardo, quod (ut fecit) non staret constans parti; in uno die Provisor Venetiarum equitavit cum Doymo de Castello, & aliis Nobilibus ad Terram Portusgruarii: & vocari fecerunt ipsum D. Rizzardum, ut ad eos veniret. Qui cum venisset, ei requisiverunt Castrum Portusgruarii. Tunc dixit: Vos Domini bene veneritis: non displiceat vobis, de mane vobis responsum dabo. Et reversus in Castrum, subito nequam ille equitavit in la Motta, quæ erat tunc Domini Paduæ: & (b) jam Joannes a Barbiano, Capitaneus magnæ gentis peditum & equitum, tum venit in Portusgruario tam tacite, quod quasi isti expectantes responsum vix fugam capere potuerunt, nec cives Terræ nihil senferunt: & Terram ipsam sic proditorie receperunt. Cum quibus gentibus idem Dominus Cardinalis erat. Veneruntque dictæ gentes cum magno furore contra Patriam cum magnis bombardis, & pluribus diversis artificialibus. Qui inde redeunt, venerunt S. Vitum. Ibi Castrum insultantes, una die ipsum devicerunt: & se parti dederunt inique, non obstantibus gentibus, videlicet Lanceis L. quæ ibi per Utinenses, & in eorum (c) occursum missæ fuerunt; & quas illico abinde expulerunt; & venerunt Utinum. Exinde recedentes dictæ gentes, positis ibi eorum Capitaneo (d) & Officialibus aliis, venientes ante Terram Spegnimbergi cum eorum infinitis gentibus peditum & equitum, curribus, bombardis, lapidibus, victualibus, & aliis necessariis. Qui de Spegnimbergo illico se parti dederunt sine mora, ob timorem inducti, & exterriti; non tolerantes idem solum lapidis, nec tractum unius balestræ: sed priusquam ad Terram applicuissent, concordium cum ipsis habuerunt satis verecundum. In qua Terra erant ultra septuaginta Lanceæ partis Utinensis, & pedites in sufficienti numero pro eorum defensione. Et his non obstantibus, se ut dictum est, statim reddiderunt adversæ parti Utinensium. Ad quod concordium fuit Nobilis D. Nicolaus de Fana, pro quo miserant. Qui ostendens, nolle se impedire de prædicta guerra, fortificando Roccam Mizzæ, & foveas cum bertoneffis fieri faciendo, & totam Villam Fanæ fortificando; licet finaliter tota fuerit destructa. Et exclusis ipsis gentibus de parte Utinensi, ac in Terram Spilimbergi pro eorum defensione missis, Nobilis D. Nico-

laus de Spegnimbergo, qui multum dilectus, amatus, & honoratus fuerat per Utinenses & eorum partem, & quasi Caput illius partis, cum reversus fuit Utinum, (quia concordio facto cum ipsis gentibus, & ipsis de Spegnimbergo reversus est Utinum, & ibi moram assidue trahebat,) cum intravit Terram Utini, in furore populi interfestus fuit, & ductus fuit super plateam Utini, & ibi permissus quasi per totam diem.

Tunc gentes prædictæ Domini Paduæ, cum quibus erat prædictus D. Philippus de Alenconio Cardinalis continuo, videntes se habere citra Tulmentum ut dictum est omnia Fortalitia & loca, præterquam Castrum nobile Montis Tardinei antiquitus nominatum, (hodie vero nominatur Maniacum,) & Sacilum. Verum quia dictæ gentes Sacilo non offendeabant, sed bene nobis de Maniaco; & putantes, nos de Maniaco statim reddi debere parti eorum, Tulmentum transiverunt: & iverunt subitum ante Castrum Savorgnani, ipsumque statim habuerunt, non potenter, sed fraudulenter; quia Castrum subito se ob timorem rusticorum, qui in multitudine magna in eo intraverant, se parti dederunt. Propter quod durante guerra, multi (e) in eo stantes, Terram Utini damnificaverunt cum aliis locis circumstantibus. Et venerunt ipsæ gentes ante Terram Utini, & videntes eis nihil posse facere; exinde recedentes ipsæ gentes, venerunt ante Castrum S. Danielis: ibi quindecim diebus steterunt cum magnis bombardis, die noctuque intus trahentes. Et ad eorum defensionem dicti Utinenses pedites & equites miserunt. Qui de S. Daniele potenter se defendentes; una nocte ignem in dicto loco iactaverunt, per quem multæ domus combustæ sunt illa nocte: & pro certo nisi a Deo, ejusque Gloriosa Virgine Maria, a quibus omnia bona procedunt, & S. Aquilegensis Ecclesia defensatur, auxilium ipsis de S. Daniele misisset, locus ipse perditus foret. Quia cum dictæ gentes ante ipsum locum venerunt de Mense Octobris, pluviam magnam a Deo missam tam copiosam & infinitam, quod omnes aquæ tam mirabiliter creverunt, sicut a memoria antiquorum unquam fecissent: & per omnes dicebatur, quod Tulmentum, & omnes lecti aquarum nunquam in tanta altitudine fuissent. Propter quod exercitus ipse non poterat alicubi misisse pro victualibus aliquibus: & in campo tantam famem patiebantur, quod pro pane solo dedissent Ducatum; & nisi fuisset quia super campis rapas in magna quantitate reperiebant, quas comedebant, penitus ex ipsis multi ex fame mortui fuissent.

Domini de Colloredo potenter se habuerunt contra ipsas gentes cum parte Utinensi, inimicos sæpius lædentes. D. Candidus, Zuttus, & Leonardus de Ragonea ob timorem inducti, invito D. Joannino, se parti isti dederunt: eique ministrabant victualia pro posse. Qui D. Joanninus domum superiorem tenebat, olim S. Rossi; & multum partem Utinensium amabat. Lacrimabiliter plorando oportuit finaliter fecisse, sicut fecerunt sui Consortes, quia inter ipsos Consortes non erat versus amor. Et sentientes ipsæ gentes ipsum male contentum, nisi fuisset D. Morandus de Brugnara, & Michael de Rabath, qui inter ipsas gentes Domini Paduæ magni erant, (quia D. Morandus erat Marasculus;) ipse D. Joanninus missus foret Paduam tanquam carceratus: & statim recedens de ipso exercitu cum tacito & secreto consilio prædictorum, venit Ragoneam domum suam: & cessavit interim pluvia, & aquæ quoque diminutæ factæ sunt. Et prædictæ gentes Tulmentum trans-

(a) Cod. Maniac. De Rabat.

(b) Cod. Maniac. & cum D. Comite Joanne a Barbiano, Capitaneo magnæ gentis peditum & equitum venit.

(c) Cod. Maniac. succursum.

(d) Cod. Maniac. Officialibus, & aliis.

(e) Cod. Maniac. multi de parte contraria in eo stantes.